Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Et sic orans iuxta monumentum beate brigide totam noctem transegit. Et ma-
ne surgens, oratione premissa, ostium antiquum trudens ac ponens in suo car-
dine ianuam conclusit totam. nec aliquid defuit de eius plenitudine: nec
ulla in eius magnitudine superflua pars reperta est. Et sic sancta brigida illud osti-
um extendit in altitudine: ut tota porta illa ab eo sit conclusa. nec in ea ul-
lus locus patefactus uidetur: nisi cum ostium retruditur ut intrent in ecclesiam.
Et hoc uirtutis diuine miraculum omnium oculis uidentium illam ianuam et
ualuam manifeste patet. Et quis sermone explicare potest maximum deco-
rem huius ecclesie. et innumera illius ciuitatis que dicemus miracula si fas est dici
ciuitas. de qua uita ipse multorum nomen accepit. maxima hec ciuitas et metropoli-
tana est: in cuius suburbanis que sancta certo limite designauit brigida. nullus
carnalis aduersarius. nec concursus timetur hostium. sed ciuitas est refugii
tutissima. de foris suburbanis in tota scottorum terra. cum suis omnibus fugitiuis
in qua seruantur thesauri regum. et decorati culminis excellentissima esse uidetur.
Et quis dinumerare potest diuersas turbas. et innumerabiles populos de omnibus prouin-
ciis confluentes. alii autem epularum habundantiam. alii languidi propter
sanitates. alii ad spectaculum turbarum. alii cum magnis donis uenientes
ad sollempnitatem natalis sancte brigide: que in die kalendarum februarii mensis dormiens
secure deiecit sarcinam carnis. et agnum dei in celestibus mansionibus secuta est.
Ueniam peto a fratribus et lectoribus hec legentibus. qui causa obedientie coactus nulla
prerogatiua scientie inflatus. pelagus inmensum uirtutum sancte ~~brigide~~ et ui-
ris peritissimis formidandum. his paucis rustico sermone dictis uirtutibus
de maximis et innumerabilibus euacuaterim. Orate pro me Cogitoso nepote culpa-
bili. et ut oratione uestra pio domino me commendetis oro. ut deus uobis pacem euange-
licam sectantibus exaudiat dominus.

## Vita sancti Purkardi episcopi

Terrenarum motus curarum si diuino adiutorio trahatur ad respectum
diuine miserationis. qualiter eterna scientia sanctos suos iustificauerit
mens humana. et sollicitudinibus pressa uitalibus soluitur. utroque remu-
nerationis premio non fraudatur. Oportet ergo ut ad beati burkardi pontificis
laudes stili seriem uertamus. quatinus dum eius merita recolimus orationum emo-
lumentis fulciamur. Neque enim metuendum. ut in laudibus beatorum uirorum fidelium prelatis
modum possit excedere ueritatis pie narratio deuotionis. Quicquid itaque de om-
nibus recte fatemur. et de uno quoque profari non dubitamus. quando sic sanctorum sanctitas iun-
gitur: ut omnia in omnibus christus habeatur eaque concordia. membrorum conexio ca-
piti copuletur: quo diuersorum retributio meritorum una sit exultacio omnium. Qua pro-
pter datur nobis licentia faminis. seruato ductu catholice narrationis. Uera